PANEGYRICUS
BENEDICTO
XIII.


PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

DICTUS

A' CONTUCCIO CONTUCCI SOC. JESU

IN COLLEGIO ROMANO

Ejuſdem Societatis.



ROMÆ MDCCXXV.

Ex Typographia D. de Martiis,

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

PANEGYRICUS BENEDICTO XIII. *PONT. OPT. MAX.*

QUOD jam pridem precati eramus, ut is Chriſtianę reipublicę Pontifex contingeret, qui Principis partes non tam imperii majeſtate, quam patria charitate tueretur, idque à ſe deberi putaret, quòd omnibus pręeſſet, ut omnibus benefaceret; eum datum nobis tandem eſſe non publicis tantùm judiciis, ſed etiam privatis, quorum quò liberior, eò verior ſenſus eſſe ſolet, mutuò gratulamur. Ac ſuperiorum quidem Pontificum ea ratio fuit, ut vix eximiis ſucceſſorum virtutibus contenti eſſe poſſemus; ita quippe ſupremum Sacerdotium adminiſtraverant, ut is optimus dici ſolum poſſet, qui eorum quamſimillimus haberetur. Verùm ut horum virtus cæterorum lex quædam fuit, & norma virtutis, ita quid ſperandum nobis foret in Pontifice deligendo præſcribere viſa eſt: captis enim ſingularium virtutum ſplendore animis, quas obverſari nobis ante oculos quotidiè videbamus, nihil humile poterant homines, aut mediocre cogitare. Sanè poſt immaturum Innocentii XIII. obitum eam Sacrorum Antiſtitis formam

Digitized by Google

animo conceperamus, quam qui exprimeret, non ille ex veteribus Pontificibus aliquis ad nos relatus, ſed divinis prope virtutibus videretur inſtructus. Facile enim quidlibet licere votis noſtris volumus; præſertim cùm de Eccleſiæ principe agitur, quo nec commune majus bonum ullum eſt, nec privatum. Cùm Benedicto XIII. Pontifice renunciato, quo potiſſimum die ne ſuſpicari quidem poteramus; ut idipſum gratum foret, quòd inopinantibus accidebat; hæſimus gaudio, effuſaque ad Comitiorum locum urbe tota, occurſanteſque aliis alii vix auribus noſtris, vix oculis credebamus. Ut enim iis, qui ex longa fluctuum jactatione evaſerunt, inſtabilis primùm inceſſus eſſe ſolet, obſtrepente maris æſtu litoris tranquillitati; ità dilato ſæpe ſpei noſtræ exitu, licèt quod concupieramus manibus teneremus, vix credibile videbatur, quod à nobis fuerat tantoperè concupitum. Intelligebamus quippè, Pontificem nobis dari ſummo ſacrorum uſu, doctrina, humanitate, innocentia, animo demùm orbis terræ imperio pari, ut palam fateremur, ſenſiſſe nos tandem, & quid ultrà optare potueramus, & quid in poſterum penè non poſſemus. Neque verò alium eum eſſe oportuit, quem ampliſſima Prædicatorum Familia Eccleſiæ ſufficeret parens optima Pontificum optimorum. Equidem cùm veterum temporum memoriam uſurparem, ut libentiùs ſolemus quę literis didicimus, quam quæ oculis percepimus prędicare, plurimum, nec immerito, arbitrabar tàm pręclaro huic ordini Eccleſiam debere, quod Innocentium V. Benedictum XI. Pium V. à privatis vitæ rationibus ad orbis terræ cuſtodiam tranſtuliſſet. Quis enim non beatiſſimos putet, qui tam egregios Pontifices, quorum primi quidèm doctrinam, alterius munificentiam, tertii verò religionem æternitas omnis intuebitur, palàm colere, & oculis uſurpare potuerunt? Verùm cùm Benedictum XIII. publica hominum ſalus Pontificem exoraverit, quid eſt quod alienæ felicitatis recordari velimus, noſtrę obliviſci? Neque verò alio diuinæ providentiæ conſilio crediderim tam præclarum Pontificem tamdiù Eccleſiæ dilatum, quàm ut mora ipſa beneficii nobis magnitudo

tudo probaretur; incideretque interea tempus illud catholicis religionibus conſecratum,quod cùm divinam quamdam Pontificis virtutem requireret, Benedictus potiſſimum deligeretur, quem cùm accepiſſemus, tres illi ad nos relati Pontifices ex illa temporum longinquitate viderentur. Etenim cùm eam potiſſimum virtutis partem in eos, qui rempublicam tractant, conferre Deus conſueverit, quæ temporibus maximè conveniret, quid fieri accomodatius potuit, quàm ut ad eum, cui reſeratis ſacrorum adytis hoc præſertim piaculari anno catholica reſpublica, & ſapientiſſimis inſtitutis formanda ſit, & liberaliſſimè ſuſtinenda, & exemplis inſtituenda ſanctiſſimis, id potiſſimum ſupremus rerum moderator deferret, quod in ſuperiores illos ex eadem religioſa familia Pontifices contuliſſet? Cùm enim has ſtatuo optimi Pontificis partes eſſe, tùm Benedicto XIII. ità in omni vitâ peculiares eas fuiſſe ſentio, ut qui in ejus mores inſpexerit, illum Innocentii V. doctrinam, Benedicti XI. munificentiam, Pii V. religionem complexum eſſe fateatur. Equidem cum multa intelligo convenire in eos oportere divinarum ornamenta virtutum, qui in alios dominantur; tum Pontifices arbitror in altiſſima illa orbis terræ ſpecula collocari, ut ſupremi ſideris more quantùm ab aliis ſeceſſerint, tantùm luce colluſtrent ſua quidquid infra ſe poſitum intuentur. Præſertim in tanta cauſarum multiplicitate, de quibus cognoſcere Pontificem oporteat; cum & conſtituendæ ſacrorum cæremoniæ ſint, & effrenata ſentiendi libido coercenda, & corrigendi mores, legeſque ſanctiſſimæ de religione ſanciendæ; meditata demum omnia, explorata, in futurum proviſa eſſe debeant, ut ſummo imperio ſumma rerum cognitio exæquari videatur. Has tam multiplicis ſapientiæ partes quàm cumulatè putatis ad Eccleſiæ præfecturam Benedictum attuliſſe, cujus ætas pluribus doctrinarum gradibus traducta, quam annis eſt; cuique tardior temporis curſus fuit ad ætatis maturitatem afferendam, quam curſus ingenii? quid enim eſt, quod annis deberet, qui jam inde à puero ità eſt in philoſophicarum diſciplinarum tractatione

ver-

verſatus, ut cum doctrinæ fructus, quos alii capere extremâ ſenectute ſolent, hic ante diē tuliſſet, palàm oſtenderet, non ſemper ab ętate pendere ſapientiam. Reducite vobis ante oculos Auditores, præclaram illam veteris philoſophiæ ſpeciem, cum graviſſimi homines in palęſtris abditi de naturę arcanis ſecum taciti meditabantur; quod autem excogitaverant, communicabant inter ſe, concertabantque doctiſſimè; ut quidquid ingenii, quidquid doctrinę unquam foret, parietibus illis contineri videretur. Horum ſapientiæ unius hujus adoleſcentis ſapientiam oppono, eorum ætati hujus ætatem comparo. Quantò præclarior ſpecies, adoleſcentem ſummo loco natum philoſophari, repudiatis ampliſſimæ fortunæ lenociniis, quæ veritati exquirendæ inimica maximè eſſe ſolent, & è paternæ domûs paleſtra quaſi veterum illorum Academiæ cultorum diſputationibus intereſſet, eorum inter ſe placita conferre, ad rationis normam exigere, caſtigare ſplendidiùs dicta, quàm veriùs, obſcuris lucem, tenuibus firmitatem afferre; ut mihi quidèm videantur è carioſa illa ſcriptorum, in quibns adhuc vivunt ſeneſtute Ariſtoteles, Plato, Carneades, cæterique Philoſophorum principes illud huic, quod Themiſtocli Præceptor, ominati fuiſſe, nihil humile ab eo expectandum, cujus diſcendi initia incrementum propter amplitudinem vix expectarent. Horum itaque inſtitutionibus cum ingens laborum, poſt ſuſceptum religioſæ vitæ conſilium, acceſſio facta eſſet, ut quidquid recentiores philoſophi aut excogitaſſent ingenio, aut uſu illuſtraſſent, penitùs teneret, Brixię docuit. Audiebatur non à ſtudioſis ſolùm adoleſcentibus, ſed à doctiſſimis etiam hominibus, quibus quòd eum audirent, ampliſſimum videbatur ſenectutis honeſtamentum ſuæ. Erant in eo incredibiles quidam ad res inveſtigandas ingenii motus, ſumma in diſſolvendis difficultatibus firmitas, divina verò in differendo perſpicuitas: quæ cùm admirationi erant, tùm ætas præcipuè: primum enim, & vigeſimum ætatis annum non exceſſerat. Quis autem non admiraretur, quod alii tempus propter impeditam rerum cognitionem ad diſcendum

vix

vix ſatis longum arbitrantur, eum id potiſſimùm ad docendum contuliſſe! Stirpibus etiam, & arboribus feſtinationis laudem impertiri videmus, ſi ante conſtitutum à natura tempus, fructibus exuberant: quam commodè autem patimur, ſi in eis progignendis diutiùs allaborent? Quid? artes ipſæ cum & circa res ſenſibus obnoxias verſentur, & artificio quodam manuum contineantur, quarum multò expeditior inſtitutio eſt, quàm animorum, quantò tandem labore, quàm longo annorum curriculo hærent in hominum animis, & conſiſtunt? tantas verò res, & genere varias, & natura impeditas, & copia innumerabiles intelligentia pervadere, preceptionibus complecti, aptè, diſtinctèque proponere qui poſſit, præſertim nondum maturo ætatis robore, eum didiciſſe potius literas, quàm hauſiſſe, aut non ingenii habitu prope divino præditum arbitrabimur? Neque verò his ſolùm ſtudiis deditus ea ætate fuit, quę auſteritate quadam, & ingeniorum concertatione ſe commendant: verſatus in eo etiam eſt literarum genere, quę cùm in humanitate ſitę ſint, adjunctam quamdam habent cum utilitate ſuavitatem. Nam & poetarum libros attigit, primęvumque illum docendi morem ab ſapientiſſimis hominibus uſurpatum; & carmina ſcripſit publicis jam literis ęternitati conſignata. Quę verò ejus fuit dicendi copia, cùm ad confertiſſimas populi conciones toties in omni vita verba fecit, quoties inſatiabilis quędam alienę ſalutis cupiditas ferre potuit, quem nemo erat, qui audiret, cui non vetus illa, qua ſanctiſſimi homines in Eccleſia floruerunt, orationis vis revocata videretur. Neque verò plaudentium voces, adulatione plerùmque expreſſę, aut aurium voluptate, certiſſimum eloquentię teſtimonium, ſed commutati in melius mores, compreſſa peccandi licentia, vitę demum rationes prioribus diſſimiles exhibuerunt. Verùm ſi Principi viro expetenda maximè philoſophia eſt, nè in ea rerum univerſitate, cui pręeſt, peregrinari videatur; orationis verò facultas, quòd ejus in hominum animos efficacius imperium eſt, quàm poteſtatis; multò certè expetibilior diſciplina ea eſt, quæ cum Deum propiùs intueatur, in

eum

eum maximè convenit, qui vicariam tuetur in terris Numinis dignitatem. Hęc illa fuit ſciendi magiſtra, quę Innocentium V. morti pręreptum famę commendavit, fama ſeculorum memoriæ ſempiternę, qui cum Pariſiis in illa ſtudiorum, ac literarum ſede docuiſſet, doctiſſimiſque editis libris conſecuturas ętates illuſtraſſet, ſupremum Sacerdotium eſt literarum ſuarum pręmium conſecutus. Non ille majori apud eos, qui tùm vivebant, in admiratione fuit, quàm apud nos, qui tam longo intervallo nati ſumus: quanquam enim neminem interire ſinat ſumma rerum poteſtas; tamen cùm Innocentii nomen audimus, facimus naturę quodam ductu, ut priùs quid ſciverit, quàm quid potuerit meminerimus. Adeò perennior literarum memoria eſt, quàm poteſtatis. Verùm quid attinet poſteritatis de eo teſtimonium exquirere, in quo ingenii vim, ſententiarum firmitatem, doctrinę copiam miratus Thomas Aquinas eſt, & malevolorum poſt mortem criminationibus impetitam exiſtimationem validiſſimè aſſeruit. Par vero fuit, ut qui priorum temporum ſapientiſſimos homines aut ęquaverat, aut vicerat, ab eo potiſſimùm, cui nulla unquam tempora parem ferent, vindicaretur. Ad hanc tam egregiam doctrinę laudem, ad quam aſpirare homines vix poſſent, vocatus Benedictus eſt, ut nullum eſſet ſuperiorum Pontificum ornamentum, quod in eo requireremus. Et verò quantùm in eo theologicarum reſidere diſciplinarum oportuit, qui cum tantùm ingenio valeret, ut ſine ſtudii contentione cęteris poſſet ſciendi laude pręcellere, tantùm ſtudio contenderit, quaſi nullum ab ingenio ſubſidium expectaret. Quid in eo rerum genere ſcriptum eſt, quod non & intelligentia complexus ſit, & memoria continuerit? quantùm ex editis ab eo libris, quantum ex innumerabilibus concionibus, ex reſponſis, decretiſque ſanctiſſimis, quę de impeditiſſimis quęſtionibus, de ſacrorum uſu, de Eccleſię diſciplina, de corrigendis moribus promulgavit, ad ejus laudis prędicationem promanare arbitramini? Ac mihi quidèm videtur, quod olim de Homero factum eſt, ut & Smyrnęi ſuum, & Chii, & Salaminii,

Digitized by Google

minii, aliique Græcarum urbium cives ſuum dicerent, quòd in ea terra poeticæ principatum reſidere putarent oportere, quæ talem virum procreaſſet; idipſum Benedicto obtigiſſe, ut quædam veluti contentio inter liberales diſciplinas exiſteret; cum ſibi potiſſimum ſingulæ tantum virum vindicarent. Ita enim omnibus in ſumma temporis anguſtia ſtuduit, ut in ſingulis excelleret; ita in ſingulis excelluit, ut ad eam potiſſimùm natus, cui tùm ſtuderet, videretur. Adeant Bibliothecas literarum arces, altriceſque optimas, qui graviorum diſciplinarum ſtudiis delectantur, omnes earum loculos, ac ſedes perluſtrent: quam doctrinæ partem tam abditam reperient, quæ illi pervia non fuerit? quis illo in ſacrarum literarum cognitione ſcientior, quas cùm primos ſapientiæ fontes ſemper duxit, tùm ab eis hauſit præclaram illam rerum agendarum rationem non humanìs, ſed divinis conſiliis informatam, qua duci ſolum debet, qui bene geſtæ reipublicæ laudem quærit? quæ temporum memoria diligentiùs literis, quàm ejus ſcientiæ conſignata eſt? quàm præclare de morum inſtitutione, quàm luculenter ſcripſit? quæ ſanctorum Patrum monimenta non legendo ſolùm complexus eſt, ſed etiam vivendo? ea verò omnia, quæ ad ſacrorum religiones rituſque pertinent, quàm penitùs eum tenere putandum eſt, qui nullum ab eis tempus, ut rectè atque ordine inducerentur, ſejungendum putaverit? Nam quid ego de ea loquar ſcientiæ parte, quæ Conciliorum, Summorumque Pontificum legibus, placitiſque continetur, in quibus ità verſatus eſt, ut omnibus omnium ætatum conciliis, omnibus omnium Pontificum temporibus non intelligentia, & memoria, ſed ſpiritu, & vita interfuiſſe videatur? Vereor ne minùs omnium judiciis, quę de eo latè percrebuerunt, quàm aliquorum doctiſſimorum hominum teſtimoniis duci videar: quòd tamen minùs grata ea ſunt, quæ de ſapientiſſimis viris legimus, quàm quæ ab ipſis tanquam è fonte petita audimus, vocem mittant pontificiæ ſapientiæ teſtem certiſſimam, qui in conſilio ab eo adhibentur, cùm eorum, quibus demandandæ Eccleſiarum præfecturæ ſunt,

doctrina cognoſcitur. Quantæ illis admirationi Pontificis reſponſa ſunt: quàm latè in omnibus, quàm penitùs ejus deprehendunt verſatum ingenium: timori eſt Principis non majeſtas, ſed ſapientia, quo tamen nec gratior ullus, nec ſalubrior eſſe poteſt. Quid? agendi ſcientiam quantam in eo eſſe oportet, qui à prima pueritia in paternæ dictionis adminiſtratione ætatem conſilio antevertit, prudentia experientiam, cujus vita omnis in Sipontinæ, Cæſenatenſis, Tuſculanæ, Portuenſis, Beneventanæ Eccleſię præfectura traducta eſt in graviſſimis negotiis, partim ob ipſam temporum oportunitatem ſpontè ſuſceptis, partim Summorum Pontificum imperio demandatis, in cauſis, in morum cognitione, ut etiamſi nunquam literas attigiſſet, ipſo rerum uſu ſcientiſſimus eſſe poſſet. Verùm cum de principe orbis terræ viro agamus, cujus Sapientiæ pars maxima in beneficentia ſita eſt, quòd patria in omnes voluntate ſummam rerum debeat poteſtatem moderari; laudaret quidèm tam multiplicem doctrinæ copiam poſteritas, aliquid certè in Benedicto requireret; ſi non ad ſummum humanarum rerum faſtigium parem literis munificentiam attuliſſet. Fuerit quidem in privatis hominibus non naturà, ſed fortunà ſterilis ſapientia: in iis certè, quorum ſummæ opes ſunt, facem præfert, ut quo illa præit, rerum poteſtas conſequatur. Non enim turpiùs quid ſentiendum, quàm quid agendum ſit, ignoratur; nec minùs in literis cognoſcendis diſcitur, quàm in hominum calamitatibus ſublevandis. Tua Benedicte Sanctiſſimè quæ fuit alia doctrinæ ratio, quàm ut in omnibus tuis dictis, factis, cogitatis beneficentiſſimus reperireris? Cæpiſti eoſdem beneficentiæ exorſus, ac vitæ: aliorum enim bono naſcebaris. Nam quid pueritiam tuam commemorem, quo tempore cum omnium utilitatibus ſtuderes, te tuæ ſolùm expertem humanitatis eſſe voluiſti. Præeras jam tum relictis à patre populis: ſua omnibus dignitas, ſalus, otium conſtabat: tu tibi non parcebas, ut quidlibet ex tuis, nihil ex aliorum commodis detraheretur. Ac ii quidèm, quorum res agebantur, leviùs tuliſſent dolorem ſuum; ſi pro-

ſi propter ætatem, cujus imbecillius conſilium eſſe ſolet, deſiderari aliquid ab eo potuiſſet. Nemini tamen ad nocendum promptior fortuna fuit, quàm ad opem ferendam principis munificentia; nec calamitas ſua ulli acerbior, quàm principi puero. Fuit tamen, brevique fuit, ne laudes ſolùm tuas perſequi videamur, in quo qui tibi parebant, accuſarent duritiem tuam: illis enim præeſſe diutiùs noluiſti: quod licet illi magno cum dolore facerent, amore credo tui, ſui certè, non leviter peccabant; par enim erat, ut unius populi parens eſſe deſineres, qui eſſe deberes omnium: ita quippe coniiciebant homines, quorum tu tamen ut expectationi adverſareris, ac ne tibi quidem uni præeſſes, quod reliquum tibi ſolum feceras abdicatis ampliſſimæ fortunæ copiis, ſanctiſſimis te Prædicatorum legibus obligaſti. Tenuerat tam præclarus Ordo per omnes ætates ſummam virtutem, gloriam, dignitatem, te tamen uno auctus cum eſt, repreſentari ſibi vetera omnia ornamenta, atque exaggerari iudicavit: tu ſolus intelligere nolebas, & beneficium accepiſſe te putabas; quòd voluntatibus ille tuis paruit, cum recepit. Quanquam quærebas latebras, quæ te capere non poterant, quæque in publicam te lucem eò glorioſiùs emitterent, quòd invitum. Iterum enim imperium; iterum rerum omnium copia: expetivit te Romanæ purpuræ ſplendor, ut à te plus lucis acciperet, quàm conferret: Quo tempore quid priùs à te factum eſt, quàm ut ſocias honorum fortunas non tam acciperes, quàm profunderes? Prima ſenſit largitatem tuam, quæ prima receperat, Veneta Prædicatorum familia: tribus enim aureorum millibus attributis ejus ædes in ampliorem formam reſtitutas pietatis tuæ teſtes eſſe voluiſti. Verùm quid ſingula commemorem, quorum in predicatione fama ipſa expeditiſſimus ille humanarum rerum ſermo laborat, nunquam ſanè timidior, quàm cùm aliis ea probat, quæ vos oculis intuemini, nunquam veracior, quàm cùm penè incredibilia de Benedicto prædicat. Obſtupeſcent exteræ gentes, cùm hæc apud ſe celebrari hominum ſermonibus audient, acceptaque in manus Italiæ deſcriptione, quot in ea urbes perluſtrabunt, quot pagos recolent, quorum Sa-

cris præfuiſti, totidem exempla videbunt, & monimenta largitatis tuæ. Cognoſcent paratas Antiſtitibus ædes Siponti, Cæſenæ, Beneventi iterum exædificatas; audient innumera ubique templa partim à fundamentis extructa, partim reſtaurata, omnia omni ſupellectilis ſacræ genere adornata, religioſorum hominum familias civitatibus invectas, domiciliis, redditibus inſtructas, conſtitutas adoleſcentibus in omnem bonæ frugis ſpem alendis refertiſſimas ædes, parata ad rerum ſacrarum memoriam tabularia, cœmeteria aucta, ac reſtituta, ut ipſi demortuorum cineres magnificentiùs conquieſcerent: quæ cum tot, tantaque, tam diſſitis in locis facta cognoſcent, illud opinor quærent, ab unonè hæc homine, an à pluribus; paucorum annorum curriculo, an plurium ſæculorum ſpatio; uniusnè privatis cenſibus, an Regum multorum effuſo ærario informata, parata, perfecta ſint. Nec tamen omnia tenebunt: vix eſt hoc memoriæ tuæ, qui nihil ſoles oblivìſci, præter datum beneficium. Utinam quod ii faciunt, qui cum latentes Oceani inſulas, abditarumque terrarum oras adinvenerint, cùm iis nomina communicant ſua, quòd rectè fieri putant, ſi ab iis eorum memoria propagetur, a quibus illæ ſunt in publicam lucem reſtitutæ: pateretur modeſtia tua, ut quæ præclarè, munificèque geſſiſti, inſcriptis literarum monumentis nomen præferrent, & oſtentarent tuum! Qui de te locus, quæ domus non loqueretur? quà enim iter feciſti, ut non tecum ſalus, pax, commoditas importari videretur? Quæ frumentariæ rei rationes ad inopum ſolamen non excogitatæ, ac conſtitutæ? Quod noſocomium rebus ad egenorum ſalutem, ſalutem dixi? ad ipſas etiam delicias idoneis à te inſtructum non eſt? quis tam miſerà aut valetudinis, aut fortunæ conditione fuit in vaſtiſſimis illis regionibus, quibus Sacerdotii tui jure præfuiſti, qui non certiſſimum ſenſerit in beneficentia tua ſibi patrimonium conſtitutum? Imitari Oceani naturam voluiſti, qui cum ubique prodeſſes, alicubi tantùm beneficus appareres. Illud tamen præclarum tempus fuit, quo deſperatis jam penè hominum rebus, beneficentiæ lux tuæ affulſit, cùm Beneventi civitatis ampliſſimæ fortunam, ſedem, dignitatem

Digitized by Google

tem ingemuit Italia unius diei fato concidentem. Fruebatur illa quidèm fortunatiſſimo dignitatis ſuæ otio; ſolique ubertate, cæli ſalubritate, rerum omnium copia regionis illius facilè princeps; domiciliorum autem magnificentia, templorum ſplendore, civium numero una maximè nobilis, in te uno tamen, à quo pleraque hæc acceperat, conquieſcebat. Cum repentino ſoli motu concuſſa, & ſedibus evulſa ſuper inſepultos civium acervos jacuit infelix Patria. Incubuerant aliis alia cadentia vicatim domicilia: quæ verò pertinaciùs reſtiterant, hærebant pendenti ruinę, & adhuc trepidabant. Quid tam miſerum videre Hirpini, quàm cùm Sol ipſe effuſa latè pulveris nube aſpectum tantæ cladis refugeret, ut ne videre quidèm, quid timerent, cives poſſent; aures autem intermortuorum clamor vulneraret. In tanto tamen civitatis totius motu, cùm eos, quibus ruina pepercerat, timor exanimaret, de te ſolliciti ſolùm erant, ſui obliti, quanquam tunc ſui potiſſimùm memores, cum tui meminerunt. Te enim quoque commune malum involverat, nec ut opinor, invitum; non enim communis calamitatis expers eſſe voluiſti omnium parens. Disjectis itaquè ædibus, in quibus habitabas, in infima earum parte inter ſaxorum ſtruem jacuiſti. O luctuoſum aliis omnibus diem, tibi verò felicem, vel quòd in te talis tuorum amor perſpectus eſt, vel quòd tam præſentem Cælitum opem ſenſiſti. Affuit enim periclitanti tibi Philippus ille Nerius, quem unicè dilexeras, Beneventanæque civitatis Patronum adlegeras; ſuſtentatiſque, ut mihi quidèm videtur, manu ſua domicilii ruinis, & imaginum ſuarum, quas ad ſuburbani ornatum paratas tecum decidens attraxeras, præſidio circumvallatum imminentis te fati faucibus eripuit; levibuſque debilitatum vulneribus ad beneficii ſignificationem, quæ mox ille ipſe nullo humano remedio adhibito ſanavit, incolumem tuis te reddit. Nec verò fas erat unius te domicilii ruinis opprimi, qui fatiſcenti terrarum Orbi ſuccurrere debuiſti. Cui tàm grata ſalus fuit, poſt quàm naufragio facto è mediis fluctibus enatavit, quam recreata Civitas te viſo eſt? adeò in unius ſpiritu conſtitiſſe videbatur. Obliterato dolore omni

dele-

Digitized by Google

deleviſſet & calamitatis memoriam, niſi quòd munificentia tua effeceras, ut oblivíſci calamitatis poſſet, recordari maluiſſet. Quem enim adeò perculit excidii magnitudo, ut non plus illi profuerit largitas tua? vitam mortuis reddidiſſes, ſi id quidem potuiſſes: effeciſti quod certè poteras, ne quemquam calamitatis tantæ pæniteret. Exædificaveras magnificentiſſima templa: magnificentiùs excitaſti. Religioſorum hominum domicilia conſtruxeras: ornatiora paraviſti. Conſtitueras fortunas omnium: perculſas cladis tam inopinæ impetu, atque abjectas iterum recreaſti. Ita quæ omnium gloriæ invidere conſuevit ſortis iniuria, ſervivit laudi tuæ, cujus ampliſſima monumenta cùm perculit, non eorum oblivionem induxit; ſed cùm nihil reliquum jam eſſet, quod munificentiæ tuæ copiam requireret, neceſſe fuit ne tua diutiùs conſiſterent, ut tecum liberalitate certares. Verùm prodeat aliquandò noſtra quoque accepti beneficii grata recordatio, de quo etſi tandiù cogitabimus, quandiù noſtri non obliviſcemur; ingrati tamen animi eſt, memorià beneficium continere, voce cùm poſſis, non efferre. Quanquam quæ tanta poteſt dicendi copia reperiri, ut ſilere non præſtet, quam de eo beneficii genere loqui, cuius amplitudo ſola ſit eiuſdem digna prædicatio? Ut enim cætera omittam beneficentiæ tuæ monumenta, ſi Beneventi magnificè habitamus, ſi pulcherrimum adjunctum ædibus Templum eſt, ſi à communi civitatis fato infinitis nos ſumptibus incolumes præſtitiſti, ſi parata per te omnia, atque inſtructa, & adhuc largitatis in nos tuæ copiam ſentimus, tuum eſt, apud quem oblata benefacendi opportunitas neceſſitas quædam eſt, ipſaque hominum calamitas, ut beneficium accipiant, meritorum obtinet dignitatem. Altiùs tamen in nos iſta tua profluxit munificentiæ copia, quam cum nobis impertireris, cùm naturæ tuæ, tùm Maiorum in nos tuorum voluntati paruiſti. Hoc ipſum in quo agimus, Religioni, boniſque Artibus domicilium conſecratum aut nunquam fuiſſet, aut in hanc tantam amplitudinem non excreviſſet, niſi Victoria Tolphia Urſina pluribus ad eius ex ędificationem ædibus de ſuo attributis manum, locum, copiam contuliſſet; ut amantiſſimus ille
fami-

familię noſtrę parens,ac conditor Gregorius Boncompagnus, cujus æternitati memoria coæquabitur, cùm illud conſtitueret beneficus in nos, in tanta rerum omnium poteſtate ſatis eſſe non potuerit, niſi beneficentiæ partem ab Urſinorum Familia mutuaſſet. Patere itaquè Pontifex Optime, ut hac qualicumque grati animi ſignificatione beneficium tuum, quod præ nobis ſemper tulimus,ac feremus, in publico hoc urbis conventu, quod unum poſſumus, fateamur. Et quoniam ad parem iſtam fortunæ, dignatiſque amplitudinem ſumma virtutum tuarum magnitudo provexit, noli temeritati potius, quam obſervantiæ tribuere, ſi de tanto tuo bono, quod commune omnium veriùs eſt, in tanta omnium gratulatione, noſtra quoque accedat lætitiæ teſtificatio, ſeriùs fortaſſe, quàm par erat, quòd ita temporum rationes tulerunt, non quòd non jamdiu geſtiret animus hac tàm merita officii pietate defungi: etſi nulla maturior adepti imperii gratulatio eſt, quam commemoratio præclare geſti. Qua in re non mediocre tuum etiam in nos beneficium eſt, præſtantiſſime Prædicatorum Ordo, ex quo qui ad publicam rerum tractationem accedunt, in hoc tui potiſſimùm deprehenduntur, quòd præclarè de omnibus mereantur. Habebas tu quidèm priùs de cujus munificentia præ ceteris gloriareris Benedictum Boccaſinum, Urſinus acceſſit, qui ejus meritò nomen adlegit, cujus tantopere fuerat naturam æmulatus. Nunc ea tibi injecta jucundiſſima dubitatio eſt digna natura digna moribus tuis, utrius maxime laude delecteris. Quanquam video quo ſpectet judicii tui prærogativa: eum enim præſtare neceſſe eſt, qui quam alter in ſummo imperio laudem collegerit,hanc ille fuerit privatæ largitatis inſtitutionibus aſſecutus. Ille paucorum menſium imperio reparatis ubique Cælitũ honoribus Sacrã Euſtorgii potiſſimùm, Petrique Martyris Ædem magnificentiſſimè Mediolani adornavit. Hic poſt condita ubique templa, parataque Sanctorum cineribus ſacraria,ampliſſimã Bartholomęo Apoſtolo Ædem Beneventi procuravit. Ille auctis ſacrorũ adminiſtris Lateranenſis Eccleſiæ ſplendorẽ amplificavit. Hic in Gargani montis Æde Mi-

chaeli

chaeli ſacra, Siponti, Beneventi eorum numerum aſſignatis redditibus auxit, novis honorum inſignibus illuſtravit. Ille Carolum Sicilię Regẽ ob ejectos Luceria Saracenos liberaliſſimè muneratus eſt. Hic quod ex Eccleſiarum fructibus apud Antiſtites Neapolitani Regni reliquum morte obita eſſet, ne ad Pontificem rediret, ſed in Eccleſiarum commodum cederet, Antiſtes curavit, Pontifex factus ſanxit, confirmavitque. Ille Nicolao Cardinali Pratenſi ad ſedandos Ghibellinorum, Guelforumque motus Florentiam primùm, deinde in Britanniam miſſo ad conciliandos ejus Inſulæ Reges; Martino Antibarenſi Epiſcopo ad Andronicum Imperatorem, Oroſiumque Serviæ Regem, ut ingraveſcens vitiorum lues comprimeretur, allegato; Firmano Epiſcopo ad Venetos Patavinoſque pacandos traducto, infinitis ſumptibus catholicam Religionem propagavit. Hic quando pecuniæ, vel quod majus eſt, ſibi pepercit, aut obeundis legationibus à Pontifice demandatis, aut allegandis ipſe ſanctiſſimis viris, ne quid in tam variis, quas moderatus cum imperio eſt, regionibus, res catholica detrimenti caperet? Majoris illa poteſtatis fuerunt, non voluntatis, quæ poteſtas cùm Benedicto data ſit, voluntatem certè non requiret. Quæ enim gens tam barbara, quę tam diſſita regio eſt, cujus ſaluti in altiſſimo illo mentis tuæ conſilio non jam nunc cogitationes, non opes, non te ipſum devoveris? Feciſti omnibus Pontifex ad bene ſperandũ certiſſimũ indicium, cùm imperii tui initium ab omniũ charitate auſpicatus es. Aſcenderas jam ad ſupremũ potentię faſtigium, nullam priùs vidimus propoſitam legem, quàm clementię tuę, cui ſemper paruiſti. Quòd regnares, quod Pontifex eſſes, beneficiis tuis priùs ſenſimus, quàm imperiis. Nec verò ſi collatis Sacerdotiis, ſi vectigalibus imminutis omnium ordinum fortunis conſulis, tuas exhauris, timendùm tibi ab ærario eſt, cujus utilitates hominum ſemper commodis meritò poſthabuiſti. Nullæ enim principi paratiores opes, quàm quæ in populorum amore ſitæ ſunt; nec opulentius ullum ęrarium eſt, quàm quod beneficentia referſit. Beneficos quidem Pontifices alios ſenſimus, quorum tamen profluentem
jam

jam in omnes largitatem partim temporum rationes, partim pecuniariæ rei anguſtiæ prohibuerunt: efflagitantium preces, quòd certè poterant, nunquam repudiaverunt. Occurris tu precibus noſtris, rubori parcis, qui licèt cenſus ſit ad omnem fortunæ conditionem à natura datus, nihil illo tamen homines aùt charius ęſtimant, aut erogare gravatiùs conſueverunt. Adhibes enim in munificientiæ tuæ conſilium humanitatem, clementiam, fidem, religionem. Quò gratior tua nobis Pontifex largitas eſt; nunquam enim quod accepta facilè ſint, beneficia viluerunt. Quàm verò mihi alia ex alia oritur virtus tua! hoc eſt naturæ tuæ, ut nullam exercere ſine aliarum omnium complexione poſſis, cùm omnium, qui in unaquaque excelluerunt, ſimillimus, tùm ſimilior multò tui, qui ita per omnes ætatis tuæ gradus vixeris, ut à te maximarum virtutum exempla petiiſſe ſolùm videaris. Verùm quandoquidem domeſtica ſequi Prædicatorum familiæ exempla maluiſti, in qua quidquid uſpiam virtutum eſt collectum ſentiebus; prodeat Pius ille V. de quo plura prædicare tacendo poſſumus, quàm loquendo. Sic enim ſtatuo, nullum in hominibus, qui ad hanc diem fuerunt, reperiri par hominum poſſe tam geminum, quàm hoc eſt, tàm inter ſe ſimile, tam virtutum plenum maximarum. Quid ego nunc ea vobis recenſeam, quæ, cum adhuc in cænobiis viverent, præclarè geſſerunt; quàm eximius uterque religioſarum legum cultor fuerit, quam paupertatis ambo in ſummo generis ſplendore retinentes; qui cum literas traderent, ita viverent, ut qui eos audiebant plus præceptoris exemplis, quam inſtitutis proficerent; ita voluntariè ſuſcipiendis corporis afflictationibus dediti, ut ea ſolùm in deliciis forent, quæ ſenſibus adverſarētur; qua in re licèt inſita quædam ſit voluptatis iucunditas cæteris omnibus præſtabilior; ea tamen ſoli ducuntur, quorum excelſior animus eſt, & in ſola cæleſtium rerum meditatione verſatus. Vos hic appellem Religioſiſſimi Patres, qui una cum Benedicto fuiſtis, ut quandoquidem de Pio literarum memoriam tenemus, audire de Benedicto poſſimus, quanta in eo precandi vis fuerit, & aſſiduitas, nobis commemoretis

C teſti-

teſtimoniis certè veſtris, quibus nihil luculentiùs eſſe poteſt, cauſa nõ indiget. Vidimus ipſi, nec ſine sũmo animi noſtri gaudio frequenter vidimus, cum non privatus, quod in more tamen habuit, ſed humani generis jam parens ad publicas ſe preces conferret, ad ſtata ſubſellia conſideret, in templorum ſacrariis vocem, qua terrarum orbem moderatur, cùm cæteris miſceret; quàm compoſito ad modeſtiam totius corporis habitu, quàm ſupra humanum morem afflato divinitus vultu? Deum alloqui verè credidimus, ſenſimuſque parem redditam propheticis carminibus vocem, & ſacris precibus ſplendorem reſtitutum. Tenemus, quid in ſacris religioſæ vitæ latebris fecerit, nec aliorum ſermonibus, ſed oculis noſtris credimus: illa enim vera virtutis colendæ voluntas eſt, ad quam ingenito pietatis inſtinctu, quaſi quodam naturæ ductu provocamur. Atque hæc vitæ ratio illa fuit, hæc inquam tam plena laborum, tam abſtinens, ad quam ut confugeret, cum illi mira innocentia paterna in domo proluſiſſet, ſprevit matris amantiſſimæ lacrymas, populorum orbitatem, naturæ vocem, & dolorem ſuum. Quemquamnè animo tam excelſo fuiſſe in hac præſertim ætatis imbecillitate, qui ampliſſimi patrimonii fortunas, ut parcè, ac duriter viveret, repudiaret; honores, ut lateret, contemneret, & abdicato principatu ſervire aliis mallet, quam imperare? Quam putatis, hæc cum ſecum agitaret, obſtrepuiſſe illius animo familiæ ſplendorem, generis vetuſtatem, majorum famam? Videbat enim in ea ſe familia natum, quæ cùm ſtirpis amplitudine, regum cognatione, muneribus geſtis nulli Europa tota concederet, ægrè patiebatur à ſe eum divelli, a quo tantam ſibi pollicebatur famæ celebritatem, quantam in eum ipſa tot ſæculis collectam contuliſſet. Interpellabant etiam, ut opinor, clariſsimæ Majorum imagines, quas ad imitandum propoſitas domi videbat, tot terra, marique duces fortiſſimi, ſapientiſſimi Provinciarum præfecti, Patres infulis, Romanaque purpura præſtantiſſimi, Bathildes demum illa Galliarum Regina ſanctiſſima fœmina: qui quidem omnes licet egregiam morum innocentiam, qua ipſi floruerant, poſteris commendarent ſuis, in hunc tamen, à

quo

quo æquari omnium merita ſentiebant, eadem cùm ſanguinis, tùm virtutis cognatione procreatum ornamenta omnia refundere Urſinis omnibus debita geſtiebant. Verùm ille contineri omnia in unius virtutis poſſeſſione exiſtimans, tunc maximè ornatum ſe futurum arbitratus eſt, cum ea maximè mereretur, & fugeret. O præclarum exulem, cum ſimulata per Italiam profectione ab Majorum tuorum conſpectu, ab Matris complexu, à te ipſo profugiſti! Beatæ Venetiæ tùm rebus omnibus, tùm hoc ipſo, quòd primæ fugientem exceperunt, quæ mihi quidem videntur, ſiquidèm creſcere illæ poſſunt, unius hujus adventu illuſtratæ, & amplificatæ. Ita, opinor, Benedictus olim profugerat, eadem & ipſe domò progenitus, religioſarum familiarum lumen ampliſſimum: hunc enim ex tanta Majorum frequentia imitari potiſſimum maluiſti. Nihil agis tamen in hac tua honorum fuga, adoleſcens optimè: invitum ſequentur. Celebraris ſermonibus omnium, qui omnium de te memoriam extinctam eſſe voluiſti: quòd non vident, in hominum animis obverſaris magis, & ad honores eo te impenſius revocant, quòd refugiſti: latere enim ſumma virtus nunquam poteſt. Sanè vixerat in religioſæ vitæ seceſſu, ſi annos ſpectes, parum; ſi virtutum maximarum profectum, ſatis diu. Et jam Philoſophia Brixię tradita annos natus alterum, ex vigeſimum Bononiam venerat, ut ſolemnis jejunii tempore ad populum concionaretur. Cùm ecce tibi Roma nuncii, literæque, in Purpuratorum Patrum ordinem à Pontifice cooptatum eum eſſe. Quæ illi obortę ſtatim in tanta luce tenebræ, qui mæror verus, animique hæſitatio! Quod enim alii affirmare de ſe taciti ſolent, id ille tantis opibus fretus, tanto Familiæ ſplendore, contracta nuperrimè cum Pontifice affinitate, ne ſuſpicari quidèm de ſe poterat. Ac licèt interpoſita præcepti religione ad demandatum honorem Pontifex eum adigeret; tamen fas ſibi adhùc eſſe moliri multa credidit, precari, obteſtari, ut à conſilio Pontificem dimoveret. Nihil enim eo tempore apud eum valuerant aut Legati Cardinalis adhortatio, aut Roccaberti Generalis Prædicatorum Magiſtri literæ, cui cùm ſem-

per dicto audientiſſimum ſe præbuiſſet, nec in ejus unquam, aut ſucceſſoris etiam conſpectum Cardinalis jam factus prodierit, quin ad eorum ſe pedes abjiceret, ſibique eos vellet beneprecari; tamen hac in re repugnandum ſibi eſſe duxit, ne honoratior fieret. Datis itàque ad Clementem literis quàm multa dixit, ut eum inflecteret? Sperabat autem, quem lacrymis priùs vicerat, cum ad eum Mater provocaſſet, ut filium à religioſo vitæ ſtatu revocaret, illum facilè precum earundem obteſtatione, ut in honore demandando, ne graviùs contenderet, dimoturum. Verùm Pontifex judicio ſuo delectatus, quòd talem virum adlegerat, cui purpuræ delatus honos nova fieret meritorum acceſſio, authoritate ſua, ne diutiùs tergiverſaretur, repreſſit. Tulit quidèm alter judicii ſui fructum, quòd futurum conſecuturis temporibus Pontificem Eccleſiæ præſignavit; alter virtutis, quòd veterem in Romanæ purpuræ detrectatione memoriam à ſanctiſſimis viris uſurpatam revocavit. Fit autem divino conſilio, ut iis potiſſimum honores demandari, iis magiſtratus videamus, qui aut à Majoribus acceptos repudiaverunt, aut ne admitterent, graviùs reſtiterunt. Cùm enim anceps eorum adminiſtratio eſt, tùm dominari in hominum animos facilè ſolent, qui ſi in eos fortè inciderint, quorum excelſus animus eſt, & ab eorum cupiditate ſejunctus; tùnc illa exiſtunt, quæ requiri maximò ſolent, reipublicæ dignitas, temporum tranquillitas, expedita negociorum ratio, ſalus, & otium privatorum. Quod ut Benedictus aſſequeretur, id egit primùm, ut ſe majoribus ſuis quos ſupra triginta Romana purpura ornatos meminerat, quàm digniſſimum redderet. Videbat ex his duos Latinum, & Mathęum ex eodem vitæ ſtatu ad purpuram evocatos, quos ut æmularetur, cùm multę illum infulę ambirent, recuſata Eccleſia Salernitana, quòd regio nomine offerebatur, ne quo partium ſtudio teneretur, Sipontinas potiſſimùm, quibus illi claruerant cooptavit. Atque in hujus tùm cęterarum, quibus pręfuit Eccleſiarum adminiſtratione, quantùm illicò ejus fuit religionis tuendę ſtudium cùm rebus cæteris, tùm Provincialibus præcipuè conven-

ventibus frequentiſſimè habitis; quàm graves de commiſſi ſibi gregis ſalute curę, ne qua eum vitiorum labes inficeret, ſuſcepta verò ſtatim comprimeretur; ut moribus honeſtas, templis nitor, ſacris omnibus ſanctitas conſtaret ſua. Pium acceperat cùm primùm Nepeſinę, deinde poſt detrectatam & ipſe fruſtra purpuram Montis Regalis in Subalpinis Eccleſiæ prępoſitus foret, omnes Antiſtitis veri partes ità complexum fuiſſe, ut quantùm veterum pręſulum laudem vivendo vicerat, tantum cęteris omnibus, qui conſecuturi deindè erant, exemplo anteiret. Ego verò accuratiorem nunquam arbitror naturam fuiſſe in parentum imagine filiis communicanda, quàm Benedicti virtutem, ut Pii formam moribus expreſſam ſuis ad noſtra hæc tempora propagaret. Uter enim in ſacrorum adminiſtratione conſtantior? uter in concionibus habendis ferventior? uter in hominibus initiandis, in dedicandis templis, in propagando Dei cultu religioſior? Nec verò, ſi viguit in Pio, Benedicto defuit robur illud animi prçclaro Antiſtite digniſſimum, quo ſi quid moliri contrà Eccleſiam videret, ſtatim occurreret; ut nulla eum vis tanta, nullę minę, nullum capitis etiam periculum poſſet retardare. Quid de ejus in omnes humanitate dicam, qua ita efferebatur, ut nemo unquam tàm ſtudiosè ſibi conſuluerit, quàm ille omnibus? publicum, ajebat, ſalutis communis fontem Antiſtitem eſſe; omnibus pręſtò eſſe ſemper oportere; multa eum neceſſe eſſe ab aliis audire, multa per ſeipſum cognoſcere, quòd palàm aliqua efferre calamitoſi homines non audeant: ut in ęgrotis medentium quidem ars vulneribus nunquã, manus verò, quòd facilè aberret, dolorem non raro affert, ità multa providè, ac ſapienter à Magiſtratibus conſtituta depravari nonnunquã ab iis, qui ea tractant, & corrumpi. Itaque nullo unquam tempore ejus oculi, manus, aures, cogitatio aliorum utilitatibus defuerunt. Nemini domus ſua notior, quàm Antiſtitis erat: ibatur ad eum palàm: certum erat omnibus remedium conſtitutum. Mos illi erat regionem omnem, licèt ętate jam ingraveſcente, ſumma cura peragrare. Quæ verò tantæ latebræ cala-

mitoſum ullum hominem tanto eripere Pontifici potuerunt; cùm in ipſa ſe mapalia conferret, ęgrotos amantiſſimè ſolaretur, ſacris reficeret, pecunia ſuſtentaret; ut flentes prę gaudio libenter ſe mori dicerent, cùm Antiſtitem ſuum non jam de nomine audire, ſed pręſentem intueri potuiſſent. Pręibat autem omnibus non imperio, ſed exemplo; ut qui in eum intuerentur, haberent ad imitandum propoſita maximarum exempla virtutum. Facilè autem obtemperant homines, cùm non plus oneris imponi ſibi à Magiſtratibus ſentiunt, quàm illi ſuſceperint. Innocentiam laudabat? innocentiſſimus reperiebatur: precandi ſtudium? primus ad precandum aderat: opum contemptum? paucorum conclavium anguſtiis contentus erat nulla ſupellectile inſtructis: nihil alienum appetebat: ſua prodigebat: vulgaribus epulis, parciſſimeque victitabat. Hę illę dapes erant, quas tanti generis ſplendor, quas tanta dignitas, & ſenectus ipſa efficacior deliciarum conciliatrix adhibere jubebatur; quę cum nihil à veteribus ſolitudinum cultoribus diſcreparent, quòd in ipſam urbium, ędiumque celebritatem inducerentur, plus admirationis habebant, & laudis. An verò putatis ſe quidem tàm acriter, ſuos verò licentius continuiſſe, quos unà ſecum eſſe, unà veſci, unà precibus intereſſe ſemper voluit? an non Antiſtitum pręclariſſimorum Seminarium eſſe, maximarumque non jam tyrocinium, ſed domicilium virtutum familiam eam fuiſſe, & audivimus, & videmus? ut quę officere maximè principum virorum famę ſolet domeſticorum vita, ea maximè Benedicto ſemper fuerit illuſtris ad laudem prædicatio. Hęccine virtus fuit, quæ non in publicam hominum lucem proponeretur, quæ diutiùs lateret, quę non ad ſummum rerum faſtigium eveheretur? factum id quidem eſt, nec ſine ſummo Eccleſię totius bono factum. Videmus virtutē altiùs evectam, non majorem: nihil enim attulit ſumma dignitas, pręter honoris inſignia: virtutes attuliſſet, ſi non omnes, aut maximas inveniſſet. Quanquam quàm penè nos deceperunt! in noſtrum enim incommodum, dum ſibi conſulunt, conſpiraverant. Unum hoc Benedicto non debemus, cui cętera tamen

Digitized by Google

men omnia, quòd pręſit, quòd Pontifex ſit. Veſtrum hoc eſt in Eccleſiam promeritum, Patres ampliſſimi; vos illũ coegiſtis. O noctem illam, diemque, id enim temporis mira illa contentio tenuit, cum inito ejus eligendi conſilio frequentes illum circumſtaretis, flenteſque flentem obteſtaremini, interpoſita religionum omnium authoritate, ut communem omnium ſalutem complecti vellet, ut Eccleſiæ pareret, ut fidei, pietatis, religionis cauſam ſuſciperet. Quæ ille interea non dixit rei novitate exanimatus, cùm à vobis contenderet, ut ſibi uni vivere liceret decursâ jam prope ætate; obſecraretque non ſine querela quadam veræ virtutis plena, ne in publicam lucem hominem, ut ajebat, nullis virtutibus inſtructum vocaretis, in tanta præſertim ampliſſimorum virorum frequentia? invectus etiam graviſſimè in ſe ipſum, moreſque ſuos eſt, quę cùm ſummo animi cùm dolore diceret, maximaque lacrimarum profuſione, uni illi tamen, qui ea diceret, probabantur. Itane verò Pontifex optime id oneris, quod familiare tuæ genti eſt, reformidas? hac præceſſit Paulus I. hac Stephanus III. gentiles tui. Præeunt exemplo, quod ſequaris eodem & ipſi genere orti Cæleſtinus III. Nicolaus item III. qui Pontifices! Quòd ſi tibi ipſi, quòd ſummorum hominum tamen eſt, in tanta rerum tractatione diffidis, aderunt in conſilio ex eadem tua gente ſanctiſſimi viri Joannes, & Paulus, qui pro Chriſto ſanguinem profuderunt; aderit Benedictus cum ſorore Shcolaſtica, cæterique, ne longum ſit, magno numero Eccleſiæ faſtis jam olim adſcripti: crede aliis de te dicentibus; crede ſummorum virorum precibus, & lacrimis. Verum vereor ne audax ſim, qui ea vobis commemorem, quæ ipſi feciſtis, & vidiſtis. Audiebamus nos quidem dignum gentium omnium oculis ſpectaculum inductum, cùm unus ne præeſſet, acerrimè pugnaret; omnes ut parerent: interim vero infinita populi multitudo comitiorum limen obſideret; & exulcerato mora ipſa deſiderio geſtiret amoris quadam, & obſequii violentia parentis, principiſque ſui vultum videre. O veram Pontificis ſpeciem, cum e comitiis templum petens in ipſo Divi Petri limine cum lacrimis procubuit, lau-

tam

tam omnem ſupellectilem ex penitioribus, quæ incoleret conclavibus amovendam curavit, lineas veſtes refugit, demiſſo comitatu, ut pontificia maieſtas non armorum terrore, ſed populorum amore, non hominum, ſed virtutum famulatu ſuprà cęteros emineret, obſoleta menſa, eaquè, ſupra quàm dici poteſt, parciſſima uti voluit; auctaque in omnes benignitate eandem in ſe vitę ſeveritatem retinuit? quanquam de quo loquor Auditores? de Pio inquam; non enim Benedicti modeſtię gravis ſim. Verùm ſi cum ſanctiſſimorum hominum laudes perſequimur, de tuis neſcio quomodo Pontifex dicimus; dabis opinor eorum virtutibus, ut dicamus tamen; ne dum tuas refugere, aliorum laudibus derogare videaris. Mitto itaque, quę in auguſtis ędium tuarum latebris privatim agis: nec enim fas eſt, quę ſecreta eſſe vis, ea aut curioſiùs inveſtigari, aut imprudentius efferri. Imputent modeſtię tuę virtutes tuę reliquę, ſi quid de maximis earum laudibus minuatur. Sileantur per me vigilię illę, quibus ad orbis terrarum cuſtodiam excubas, ut in altiſſimo pacis otio conquieſcat. Lateant tacitę cogitationes tuę, quæ ſi exploratę hominibus eſſent, ambigerent certè, tuane pręclarè geſta mirarentur magis, an pręclariùs cogitata: adeo eximia omnia de divino cultu, de Eccleſię amplificatione, de omnium ſalute cogitas; quæ ſi perfici omnia non poſſunt, quòd multa ſumma etiam poteſtas laudabiliter non facit, apud ęquos rerum eſtimatores maximorum operum locum, & rationem obtinebunt. Morem geram pudori tuo, ut communibus te potiùs laudibus, quam tuis pręd icem. Accedere ad te volentibus pręſtò es: fecerunt ante te alii. Publicis in ſupplicationibus pedibus incedis; alios vidimus. Templa dedicas, ſacris initias; uſitatus Pontificibus mos. Verùm cù me aſcenſus in virtute quidam ſemper ſit; quę in aliis laudabamus, eadem in te mirari ſolemus. Quanto enim idipſum ſtudio, qua conſtantia, qua ętate, nam hęc quoque multùm valet ad maximorum operum commendationem, moliris, & pręſtas? Adeant principem hanc catholicę reipublicę ſedem non Fideles tantùm populi, ſed Heterodoxi etiam, quod certè

certè inchoato jam communis expiationis anno brevi facient. Quantus ubique templorum ſplendor? Inquirant, quod ſolent, in omnium mores: quam ad omnem pietatem compoſiti? moribus enim tuis vivere jam omnes geſtiunt. De te ſi quęrant; invidiam adhibeant ipſam exploratę veritatis teſtem certiſſimam. Quid illos ſenſuros arbitraris, cum te non niſi in ſacris ędibus publicè precantem invenient, aut ad advenarum pedes in xenodochiis abiectum, aut in Noſocomiis cibos ęgris miniſtrantem, alloquio recreantem, tuo, ſacris expiantem intuebuntur? Ut mihi quidem videatur, ut triumphalibus olim tellus aratorum conſulum manibus exculta uberiùs germinavit, ita immortalia ea corpora Pontificià manu curata, natura ipsà eſſe cupere; ii verò ad quos hęc tua benignitas profluxit, doloris ſui obliti non commune fatum, ſed valetudinem ipſam perhorreſcere, ne qua unquam in poſterùm ęgritudo tantum bonum contaminet, atque perturbet. Quanquam quid hæc complector, quæ ſeriò agis? cùm relaxare animum ab graviſſimis curis, cùm apricari, cùm otiari voluiſti; quod tuum tandem otium fuit niſi ſanctiſſimum, quod qui imitari velit, operoſiſſimus inveniatur? Remotiora urbis templa adire, piorum locorum rationes inveſtigare, querelis hominum, & dolori conſulere, ſanctiſſimis omnia inſtitutionibus:moderari,hæc tibi quies, hęc animi evagatio eſt, quę ut cętera tua intercidant, ſola commendet nomen tuum neceſſe eſt memorię ſęculorum ſempiternę. Ardes nimirum eximia quadam in Deum charitate, quę te dies noctesque mirè ſollicitat. Ardes ſummo ſanctorum hominum ſtudio, à quorum imitatione nunquam oculos, nunquam animum, & cogitationem deflectis, quos ſi tam facilè exoras, noli putare precibus id potiùs tuis, quam moribus tribui: his enim illi, quos ſuorum tàm ſimiles ſentiunt, maximè delectantur. Amor verò in Deiparam Virginem tuus quàm ſingularis? de cujus laudibus aut audire, aut dicere ſemper voluiſti, cujus ut præconia latiùs efferrentur, annuis cenſibus effeciſti; ut trina de die Salutatio debito eidem honore exhiberetur, providiſti; à cujus demum cogitatione vacuum

nul-

nullum tempus eſſe vis . Non enim interdiù tantum hęret infixus animo amoris quidam ſenſus deſiderii plenus;ſed cum ſerus etiam te ſopor in ejus laudibus verſantem oppreſſerit, interpellat obiecta tantę Virginis ſpecies , & de ſomno excitat, ut nox tibi dulcis eſſe non poſſit, niſi in eius memoria conquieſcas . Nam quid ego de eximia illa in Philippum Nerium pietate dicam,quem cùm ipſe coluiſti, tùm ut in eum ſumma extarent eorum , quibus præeras officia , ſemper curaſti ? nullum unquam arbitror tanta progenitorum charitate filium fuiſſe , quanta tua fuit , ut præclarè ab eo geſta latiùs promanarent in publicum, ut novi illi honores decernerentur , nova ſuſciperentur ſacra , & ad ejus aras impenſius ab omnibus ubique ſupplicaretur. Habebas enim eum amantiſſimi parentis loco , & experiebaris ; à quo cum novendialibus precibus in ipſa comitiorum dilatione peteres , ut optimus Eccleſię pontifex pręficeretur , mos tibi ab eo geſtus pręclare eſt ; nec enim optimus deligi pontifex potuit , niſi tu potiſſimum deligereris . Ita honoris ampliſſimi non fautorem tantum , ſed etiam ſuffragatorem eum habuiſti. In quo quantùm ejus de te judicium à tuo diſcrepavit , tantùm conſentiat in poſterùm neceſſe eſt : obſervantiæ enim in eum pars fuerit , ſi te Pontificatu digniſſimum fatearis ; quem colas, opinor, & diligas; quod & facis: nec enim fermè in publicum prodiſti unquam, quin ad ejus aram , in qua nobis ille latet , non tibi , ut amorem ſatiares tuum , acceſſeris ; gratias agere , ſi ità vis , remitte : à nobis agentur ; nos enim ille potiſſimùm obligavit . Et mirum cuipiam videri debeat , ſi apud exteras gentes , apud ipſos catholicę religioni infenſos homines tanto jandiù in honore ſis ; ſi principes etiam viri depoſitis offenſionibus tibi pareant , te colant, nutus ipſos tuos expectent , & revereantur ? nulla ſanè efficacior ad commune otium ratio eſt, quàm Eccleſiæ principis virtus : hac ſanctiſſimi olim Pontifices , hac Pius ille V. Eccleſiæ decus ampliſſimum impeditiſſimas controverſias compoſuit , corruptos hominum mores repreſſit , Eccleſiæ ſecuritatem , religioni ſplendorem reſtituit , de quo quis eſt

qui

Digitized by Google

qui literas requirat, quem verſari ante oculos noſtros arbitramur, cùm te præſentem intuemur? Meritò itaque Pontifex optime Capitolium, quò tùa te, & majorum merita vocabant, nuper aſcendiſti, plaudentibus quidē virtutibus tuis reliquis, una repugnante modeſtia tua; quid enim eſt, quod illa non poſſit? Verebare quià merueras. Auctum quidèm ſæpe antiquis illud temporibus eſt triumphantium pompa; nunquàm auctius, quàm hoc tempore. Triumphavit tecum humanitas, doctrina, religio, munificentia: audactèr dicam: omnes tecum triumphavimus; plus enim nobis dediſti, cum ſic imperium accepiſti. Quo quidèm loco cum te Clamens X. è ſuprema illa beatitatis ſede vidit, geſtiit, opinor, jucundiſſimo gaudio, quòd te, quem ipſe ad Eccleſiæ magiſtratus vocaverat, in ſupremo illo rerum faſtigio collocatum tandem intuebatur: gaudet tantum à ſe Pontificem collata olim purpura deſignatum; honori plaudit; cedit virtutibus tuis, quæ tantam ipſi quoque hominum commendationem pepererunt. In quo mira tua eſt in eum amoris, & obſervantiæ contentio; cùm enim fortiſſimos juſtitiæ vindices, & in ſummis Eccleſiæ, aut Religioſorum Ordinum magiſtratibus egregiè verſatos homines ad purpuram evocares, ampliſſimum ex eadem gente virum, ſumma etiam virtutis ſimilitudine, primum deſignaſti; ut tanti Pontificis imago ad nos tàm longo intervallo relata nunquàm intermoreretur. Fruere itaque Pontifex Maxime cùm moribus, tùm virtutibus iſtis tuis, quibus ad Deum non minùs accedis, quàm poteſtate; quę ſi tibi hanc etiam detulerunt, ad nos fructus hic totus pertinet. Nihil quidèm in omni vita laborioſius à te factum eſt, quàm ut velles, nihil certè nobis utilius, quàm ut poſſes omnibus imperare. Nunc quoniam ſupremi imperii adminiſtras habes optimas ſapientiam tuam, beneficentiam, religionem; ut tantum hominum bono poſſis, quantum ſemper voluiſti; ſervi, quandoquidèm hic tibi ſolus jucundus fructus eſt, ſervi, inquam, in iſta tua Orbis terrę vigilia omnium ſaluti. Nos quidèm hęc una obarmat contrà temporum vices, contrà fortunam omnem

cogi-

cogitatio, quòd te Pontificem habeamus. Reliquum eſt, ut de tanto tuo bono tecum etiam ampliſſime Prędicatorum Ordo gratulemur. Multa tua præclara ſunt in Eccleſiam promerita; nullum certè majus, quàm quod his temporibus in eam contuliſti. Vetera ſiquidem tua merita nova hac acceſſione ità cumulaſti, ut votis etiam noſtris modum pręſcripſeris. Quid enim optandum ulterius jam eſt, quàm tanti Pontificis incolumitas? in eo enim & religionis totius dignitas, & humani generis ſalus continetur.

Digitized by Google